

ADDITIONES.

Multitenuerunt. Inter quos reperitur Martinus antiquus Glossator, Fu golius num. 2. Salicetus, Cynus, Albericus de Rosate, & nouissimè istos referens; Petrus Gilchenius, num. 13. in l. hac consultiſſima. 21. §. ex imperfecto. C. de testament. Harprec.

Sed tamen in practica tenenda est contraria opinio. Quod sicut ¶ ualeat testamentum inter liberor in scriptis, licet sit imperfectum ratione solemnitatibus, ita etiam sustineatur, si nuncupatiuè conditum sit, post Auctores hic à Claro recitatos, tradunt Fernandus Vasquius in tractat. de success. progress. §. 30. num.

to per scripturā confecto, multo tenuerūt quod pariter etiā ipse §. imperfecto, non procederet, nisi in testamento condito in scriptis. Sed tamen in practica tenēda est contraria opinio, quod scilicet dispositio d. §. ex imperfecto, nō limitetur per dispositionem d. Auth. quod sine quantū ad testamētum nūcupatiuū, sed solum quantū ad testamētū in scriptis. Et hanc dicit esse magis comm. Corn. cons. 118. in fin. lib. 3. ubi etiam subdit, q. ita seruatur in pract. Hanc etiam opin. quod dispositio d. §. ex imperfecto, habeat locum in testamento nuncupa-

44. Ludouicus Zunthus in respons. pro vxore, nu. 62. Michael Grass. lib. 1. recept. sent. §. testamentum. q. 11. n. 3. Andr. Gaill. lib. 2. obseru. 112. num. 4. Hartmanus Pistor. lib. 1. q. 1. num. 1. & Thadæus Pifo lib. 1. variarum resolut. c. 7. nu. 3. Harprec.

Esse comunē. Adde, quod istud est per interpretationem, seu extensionem, ut concludit Natta in dict. §. ex imperfecto, in principio q. 37. post alios per eum ibidem relatos: ut retulit Ofaſc. in decis. 54. numero decimo. Et ¶ an scheda, que manu matris asseritur scripta duodecim ab hinc annis, testamenti vim inter eius liberos obtineat, vide per Menochium in consil. 267. qui considerat sex casus, atq; examinat illā dubitationem plenē. Giach.

QVAESTIO XII. SVMMARIA.

Ex Claro.

- 1 Testamentum imperfectum an sustineatur etiam inter liberos naturales tantum?
 - 2 Et quid in matre?
 - 3 Et an inter filios legitimatos?
 - 4 Et an inter liberos à successione per statutum exclusos?
 - 5 Et inter liberos non primi, sed posterioris gradus?
 - 6 Et an si filius testetur inter parentes?
- Ex Additionibus.
- 1 An testamentum imperfectum subsistat etiam inter liberos naturales tantum.
 - 2 Appellatione filij, qui intelligantur.
 - 3 Mens, & sententia, l. vlt. C. de confirmando tutor.

ADDITIONES.

Inter liberos naturales tantum. Et ¶ pronuntiatio liberorum generalis videtur, l. liberorum. 220. ff. de verbor. signific. ac proinde nonnulli existimant, patrem etiam inter liberos naturales tantum, siue spurios, testamentum sine solemnitatibus, alioqui requisitis, condere posse, Speculat. in titul. de instrument. edit. §. compendiose, verſ. quid, si pater naturalis, & C. Roman. consil. 179. atq; pluriſimè Doct. nu. 16. Castrenſ. in l. hac consultiſſima. 21. §. ex imperfecto. num. 6. C. de testam. & Salic. in l. fin. C. famil. eretic. Contraria tamen sententia longè probabilior, & receptor est. Cū enim ¶ appellatione filij intelligantur ij, qui ex iustis nuptijs sunt procreati, leg. filium. ff. de his, qui sui, vel alieni. iur. sunt. Idem quoque in dubio intelligi debet in pronuntiatione liberorū, ut post DD. hic à Claro memor. sentiunt Ang. Alex. Iaf. Cur. Iun. nu. 16. Scharhardus n. 4. & Gilchenius n. 28. in dict. l. 2. §. ex imperfecto. C. de test. Vasq. in tract. de success.

QVAESTIO XII.

Sed quia Imper. in dicto §. ex imperfecto. disponit, huiusmodi testamētū imperfectum valere inter solos liberos; Quæro, nunquid dispositio dict. §. habeat locū solummodo inter liberos legitimatos, & naturales; an autem procedat etiam, si tale testamentum conditum sit inter liberos naturales tantum? Respond.

progress. lib. 3. §. 21. lim. 7. n. 52. Gail. li. 2. obser. 112. n. 14. Graf. lib. 1. recept. sent. §. test. q. 15. nu. 1. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 1. nu. 19. Fachin. lib. 4. controu. iur. c. 3. Reuser. in tract. de test. p. 4. cap. 6. n. 6. cum seq. & Thadæus Pifo lib. 1. var. resolut. c. 7. nu. 34. Hanc conclus. ¶ non infringit. l. vlt. C. de confirmando tutor. ubi Iustinianus rescripsit, patrem posse naturalibus liberis quocunque modo, & consequenter etiam ex testamento minus perfecto, & solemniter, relinquere. Nā verba illa (quocunque modo eis dederint, vel reliquerint) non eum habent sensum, ut parenti liceat quoquo modo etiam legis forma neglecta, filiis naturalibus testamento relinquere; sed ita accipienda sunt: quocunque modo, id est siue dederint, siue reliquerint per modum dimissionis, siue donationis causa mortis, siue per codicillos, siue denique per testamentum; ut tamen legitimus numerus testium in conficiendo testamento adhibeatur.

4 Similiter ¶ conclusionem istam non euerit, l. parentes. 6. ff. de in ius vocand. ubi respondetur, parentes naturales in ius vocare neminem posse: eo quod vna omnibus parentibus

tibus reuerentia sit seruanda. Lex enim illa de reuerentia naturali, quæ omnibus omnino debetur parentibus, exaudienda est. Quod ¶ cum nostra conclusionē nullam affinitatem habet. Siquidem filiis naturalibus hæreditas con debetur. l. humanitatis. S. C. de naturalibus liber. sed alimenta tantum. Authent. licet patri. C. eodē tit.

2 Et hæc quidem conclusio de plano procedit in patre testante inter liberos naturales. Sed quid in matre? Respond. quod in ipsa aliud est dicendū.

3 Nam respectu matris, & quo ad ipsam, filij naturales reputantur legitimi: & ideo tenendum est, quod in matre testante inter liberos naturales vel spurios, locum habeat dispositio d. §. ex imperfecto. Et ita concludunt communiter Doct. ut dicit Natta in dicto §. ex imperfecto. numer. 74. & num. 78. hanc etiam opin. dicit esse communem. Alex. in l. ex factis. §. si quis rogatus, el. 1. post nu. 45. verſ. unde quia. ff. ad Trebellia. dicit Boer. in d. decis. 204. nu. 13. quod omnes in ea conueniunt, nisi mater sit illustris. Dicit etiam Gulielm. de Benedict. in 1. parte repet. c. Raynutius, fol. 156. num. 84. quod omnes in hoc concordant, quod quando mater non est illustris, & filij non sunt nati ex damnato coitu, proculdubio locum habet dispositio, dict. §. ex imperfecto. Quando enim mater est illustris, filij spurij, aut naturales non reputantur legitimi.

3 Sed quid in legitimatis, nunquid habebit locum dispositio d. §. ex imperfecto. Respond. quod sic, & est communis opinio, ut attestatur Boer. decis. 251. post num. 14. Sunt enim tales filij redacti ad instar legitimorum, et naturalium. & hoc maxime, si essent legitimi.

4 Sed quid in legitimatis, De ¶ liberis naturalibus per subsequens matrimonium legitimatis, nō dubitatur quin inter eos pater testamentum sine solemnitatibus conficere possit: quoniam matrimonium omnem maculam præcedentem purgat, & abstergit, cap. tanta est vis. 6. qui filij sunt legitimi. Caterum ¶ de legitimatis per rescriptum Principis controvocatur, an idem statuendum sit circa testamentum imperfectum; quod inter liberos ex iusto matrimonio procreatos constitutum est?

11 Et statuendum esse, hæc suadet ratio: quod ¶ liberi naturales, qui Imperiali rescripto legitimi efficiuntur, iisdem iuribus, & commodis frui debeant, quibus fruuntur ceteri, vel legitimo matrimonio progeneri. Nouell. 89. c. 9. §. sit igitur licentia, &c.

12 Nec obstat textus in ¶ l. vlt. C. de his, qui veniam ætatis impetrauerunt. ubi Iustinianus hæc verba rescripsit: Si quis aliquid dari, vel fieri voluerit, & legitimæ ætatis fecerit mentionē, vel si se absolute dixerit perfectæ ætatis: illam tantummodo ætate intellectā esse videri volumus, quæ ex viginti quinque annorum curriculis completur, non quæ ab Imperiali beneficio suppletur. Hæc nāque dissimilia, & diuersa sunt: quia minoræ ætatis viginti quinque annorum legitimus nō est, legitimū efficere potest. Ita docet Bald. in c. de causis, 4. nu. 34. de off. & potest. iud. de leg. Iaf. in d. l. hac consultiſſima. 21. §. ex imperfecto, nu. 2. C. de testam. Gaill. d. li. 2. obseru. 12. n. 21. & 22. Thadæus Pifo d. lib. 1. var. resolut. c. 7. n. 25. & Fachin. d. lib. 4. controuers. iur. c. 3. verſ. ceterum si filij naturales, &c. Harprec.

e Per subsequens matrimonium. Adde comunē per Menoc. de recup. poss. scilicet. in 1. remed. num. 43. Hoc intellige, prout nunc & post hæc, nō prout tunc & in præteritum inspecto natiuitatis tempore. Itē limita in filio nato ex cōcubina retenta, at secus in spurio. Vide per Caph. in consil. 82. n. 23. & fufius in collect. mea comm. opi. n. 33. verſ. legitimatus, ubi fufius declarauit, & in tribus num. seq. ubi quid de conceptu pēdente lite, & quid matrimonio in mortis articulo celebrato: & quid de secundis nuptijs, & num. 27. an possit eligi in Episcopum. Giach.

f Qui per statutu essent exclusi à successione intestati. Quod testamentum imperfectū, seu minus solēne ¶ sustineatur etiā inter liberos, qui alioquin ab intestato ex peculiari statuti dispositione, vel proprio pacto non succederent, tradunt Curtius Iunior, & Alex. in d. l. 21. §. ex imperfecto. C. de test. Vasquius in tract. de success. creat. §. 21. nu. 52. Ceph. consil. 99. in ff. Hier. Zanch. in l. hæredis mei. §. cum ita. 1. n. 196. ff. ad S. C. Trebellia. Lud. Zunth. in consil. pro vxore. n. 952. Grassus d. §. testamentum. q. 15. nu. 4. Pifo d. c. 7. nu. 24. & Hartm. Pistor. d. q. 1. num. 17. Harprec.

g Inter filios non primi, sed posterioris gradus. Quod ¶ testamentum minus solēne etiam inter liberos, qui primū successiois locum non tenent, valeat, contra alios pluribus tueretur Natta consil. 428. tom. 2. Hart. Pistor. d. q. 1. num. 16. & Thad. Pifo d. c. 7. nu. 23. Harprec.

h Testetur inter parentes. ¶ Testamentum ¶ imperfectum, siue minus solēne non valere, si filius familias inter parentes testetur, tenent quoque præter hoc loco citatos, Fernand. Vasq.

Vasq. d.traet. de success. creat. §. 2. l. limit. 7. nu. 61. & de success. resol. §. 1. nu. 45. Grassus d. §. Testamētum. q. 15. nu. 6. Gail. d. li. 2. obs. 112. nu. 26. Rodericos Soarez in l. quoniam in prioribus 32. in vltim. ampliat. C. de inoffic. test. Pif. di. li. 1. c. 7. n. 41. Hart. Pistor. d. q. 1. n. 18. & Sichardus in d. l. hac consul-

bit locum dispositio §. ex imperfecto Respon. quod non. Ita tenet Spec. de instrum. editio. §. compendiose. post n. 32. versic. quid si filius. & ita communiter concluditur, vt dicit Alex. in d. §. ex imperfecto. n. 7. Hanc etiam opin. dicit esse comunem Boer. in d. decis. 240. in fin. verbis. Natta in d. §. ex imperfe-

cto, nu. 227. & dicit Riminal. in d. §. ex imperfecto. n. 1. quod ita tenent communiter Doctores. Quod enim contra communes regulas statutum est, non debet trahi in consequentiam. Et hac opin. propter auctoritatem tenenda esset in practica. licet forte in puncto iuris contraria sit verior.

tissima 21. §. ex imperfecto. n. 5. C. de test. Harp. i. Quod non. Adde pro hac opinione Rod. Soar. in rep. l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. test. ampl. vlt. n. 6. contrariam tamen nouissimè Berenge. Fern. in repet. l. in quartā. ff. ad l. Falcid. c. 1. nu. 47. Gou-

QVÆSTIO XIII. SVMMARIA.

Ex Claro.

1 Ex testamento imperfecto inter liberos succeditur tanquam ex

ADDITIONES.

QVÆSTIO XIII.

Dicitur succedi ex testamento, non autem ab intestato. Quod in omnibus illis casibus, quibus minus solemnibus patris dispositio inter liberos vim testamenti habere dicitur, non ab intestato, sed magis ex ipso testamento succeditur: atque omnia, quæ de solemnibus testamento disposita reperiuntur, etiam hoc in testamento locum sibi vindicent; ita vt in eo pater pupillariter substituere, & exhæredare, itemque tutorem constituere possit, tenent

Restat nunc videre circa hanc materiam testamenti inter liberos condicti, nunquid ex huiusmodi testamento imperfecto inter liberos dicatur succedi tanquam ex testamento, non autem tanquam ab intestato? Vtilitas autem est maxima: quia si valet, vt testamentum, sustinebitur substitutio pupillaris, vt exhæredatio, vt datio tutoris, quæ omnia fieri non possunt in codicillis, & ideo

no possunt suscipi, vbi non valeret nisi ab intestato, & sic in vim codicillorum Respon. quod dicitur succedi ex testamento, non autem ab intestato. Ita tenet gloss. in l. filij. in verb. ab intest. C. famil. hercisc. & ita tenent communiter omnes Doctores, vt dicit Corn. in d. §. ex imperfecto. nu. 12. in fin. Bertrand. consil. 141. num. 5. lib. 3. in 2. parte. Hanc etiam opin. dicit esse comunem Iaf. in d. §. ex imperfecto. nu. 221. Satis enim dicitur testamentum, ex quo lex illud approbat pro testamento, suppledo defectus solemnitatum, & vult ex eo succedi.

post Clarum nostrum, & ab eo allegatos, Alex. in l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto, nu. 2. C. de test. Decius conf. 610. nu. 3. Emanuel & Costa in l. Gallus, 29. §. & quid sit tātū, §. nu. 41. par. 1. ff. de liber. & posthum. hæredib. institut. Fernand. Vasq. in tractat. de success. creat. §. 21. nu. 47. cū seq. Lud. Zūthus in respon. pro vxore. nu. 48. Mich. Grass. lib. 1. recept. sent. §. testamentum, quæst. 11. numero 2. Hartma. Pistoris libro 1. numero 22. & Thadaeus Pifo libro primo, variarū resolut. cap. 7. num. 21. Harprec.

QVÆSTIO XIV. SVMMARIA.

Ex Claro.

1 **S**chedula à patre scripta continent eius vltimam voluntatem, valet inter liberos in vim testamenti.
2 **E**t an requiratur, quod in ea appositus sit dies.
3 **E**t an debeat esse in omnibus per extensum scripta absque aliqua abbreviatione.
4 **E**t quid si tanquam modo sit ab ipso patre subscripta, non autem eius manu in totum scripta.
5 **E**t quid si non sit eius manu scripta, sed tantum reperta in eius arca.
6 **E**t quid si non sit scripta, neque subscripta à patre, sed tantum ab ipsis filiis.
7 **E**t quid si reperitur schedula testamenti in lib. Notarij.
8 **E**t quid si filij non sint in ipsa schedula equaliter instituti.
9 **E**t an hæc conclusio locum habeat etiam in schedula confecta in fauorem pie cause.

Ex Additionibus.

1 **P**arentis schedula, manu ipsius conscripta, valet inter liberos in vim testamenti.
2 **S**emencial. vlt. C. famil. erciscund.

3 **V**oluntas patris inter liberos ex imperfecto testamento generaliter suscipitur.
4 **E**xplicatio Nouell. 107. cap. 1.
5 **F**ilij semper obseruare debent voluntatem parentum.
6 **I**n testamentis, & codicillis, & nuda voluntate, quot requirantur testes.
7 **T**estamentum vnde deriuetur.
8 **M**ens testatoris in testamentis dominatur.
9 **S**criptura priuata regulariter non requirit diei designationem.
10 **A**liud in scheda, sine testamento inter liberos condito obtinetur.
11 **N**otæ quatenus in testamentis tolerantur.
12 **A**n testamentum à patre saltem subscriptum, inter liberos valeat.
13 **N**unquid schedula in arca patris reperta, non tamen eius manu scripta, in vim testamenti valeat remissimè.
14 **E**t quid si schedula ista ab ipsis filiis sit subscripta.
15 **E**t quid si schedula testamenti reperitur in libro Notarij.
16 **A**n, & quatenus pater liberos suos ex inæqualibus partibus hæredes scribere possit, variæ opiniones.
17 **P**rima opinio.
18 **S**ecunda opinio.
19 **T**ertia opinio.
20 **C**onfirmatio huius posterioris opinionis.
21 **C**onsideratio l. filij 16. & d. l. vlt. C. famil. ercisc.
22 **Q**uatenus parenti permissa sit illibata diuisio inter liberos.
23 **I**nterpretatio d. l. vlt. in princ. C. famil. ercisc.
24 **A**n, & quatenus æqualitas inter liberos seruanda.

ADDITIONES.

Si reperitur schedula. Adde, quæ in hac schedula solemnitas requiratur, Caph. conf. 277. n. 15. 16. 17. 18. vol. 3. Gou. b. Talis schedula valet, &c. Parentis ¶ schedulam, manu ipsius conscriptam, absq; vltimis testib. inter liberos validi testamenti loco substituere (contra Salicetū in l. hac consultissima, 21. §. ex imperfecto. C. de test. Alexand. conf. 76. n. 12. li. 3. & Cuiacium in suis consultationibus. consultat. 1. & Nouell. 107.) tenent Doctores communiter, Bar. in l. filij, qui testamentum 25. n. 4. ff. qui test. fac. poss. Bal. Corneus, Fulgos. Caltrés. Natta, Iafon, & Sichardus in Auth. quod sine. C. de test. Guil. Benedic. in ca. Rainutiū, 16. in verb. testamentum, n. 85. de test. Menoc. li. 4. præsumpt. 7. n. 5. Grassus lib. 2. recept. sent. §. testamentum, q. 16 n. 2. Gail. li. 2. obs. 112. n. 7. Hartman. Pistor. li. 1. q. 1. n. 4. Reusnerus in tract. de testam. par. 4. c. 3. n. 18. Fachinetus lib. 4. controuers. iur. ca. 1. Elbertus Leonianus conf. 8. n. 4. Speckhā. cent. 1. q. 48. Thadaeus Pifo lib. 1. var. resolut. c. 7. n. 7. Barbat. consil. 58. lib. 4. Boerius decis. 240. Arumæus exercitat. Iustin. 7. th. 12. & Gilkenius in d. l. hac consultissima, 21. §. ex imperfecto. nu. 15. C. de testam. Hæc; receptissima ¶ opinio nititur primū textui in l. vlt. C. famil. erciscund. vbi Constantinus Imperator fanciuit, quod quælibet dispositio patris de hæreditate sua valeat inter liberos, etiam si solemnitate legum huiusmodi dispositio fuerit destituta: Quæ posteriora verba omnem solemnitatem, & consequenter etiam testium adhibendum, complectuntur. Accedit deinde textus in d. l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto 1. C. de test. vbi Imp. Theodosius, & Valent. generaliter constituerunt, ex ¶ imperfecto testamento valere voluntatem patris inter solos liberos. Præterea ¶ probatur hæc sententia per Nouell. 107. c. 1. vbi Iustinianus; Volumus, inquit, vt si quis litteras sciens, inter suos filios voluerit facere dispositionem, primū quidem eius subscriptione tempus declarat: deinde quoq; filiorum nomine propria manu ad hoc uncias, in quibus scripsit eos hæredes, &c. Et paulo post: Si tamen aut uxori, aut extraneis personis aliquibus voluerit relinquere legata, aut fideicommissa, aut libertates, & hæc propria scripta manu, dictaq; a testatoribus coram testibus, quoniam omnia consequenter in dispositione posita ipsi, & scripterunt, & uolunt ualere, sint firma, &c. Quibus ex uerbis intelligere promptum est, Iustinianum Imp. illud uelle, ut testamentum inter liberos conscriptum absq; testium adminiculo, seruandum sit, si modo pater præscriptam obseruauerit: nisi aliquid uxori, uel extraneis legauerit: tunc enim testes adhibendi sunt. Hanc deniq; conclusionem manifesta confirmat ratio: tum quia æquitate consentaneum est, ut ¶ filij obseruent parentum uoluntatem, tamen si omni solemnitate careat: cum ipsa ueritas sola inter eos spectari debeat. Tum quia frustra hic requiritur testium præsentia; cum talem fuisse parentum dispositionem, satis constat, docente Menochio d. lib. 4. præ-

QVÆSTIO XIV.



Habetur etiam in hac materia testamētū inter liberos conditi aliam constitutionem mirabilem, quæ est posita in Authen. quod sine. C. de test. per quam disponitur, quod si reperitur a schedula scripta a manu testatoris, in qua continetur eius dispositio inter liberos talis b. schedula valet, & illi standum est, etiam, quod in ea conficienda non interuenerint aliqui testes, neq; ulli ipsi schedula se subscripserint. Et ita se habet magis communis opinio. vt attestatur Alex. conf. 105. in fi. lib. 7. quem refert Io. Dilect. de arte testandi. tit. 2. cau. 2. in fin. & aduerte circa intelligentiam terminorū quia Aut pater testando inter liberos sine in scriptis, sine per nuncupationem adhibuit testes, & tunc, etiam si non fuerit adhibitus numerus septem testium, vel etiā deficiant aliqua alia solemnitates à iure requisitiæ, suscipitur nihilominus testamentū ex dispositione d. §. ex imperfecto

sumpt. 7. numer. 5. ad finem.

Huic decisioni non aduertatur, quod ¶ nec codicillus, nec testamentum dici possit ea voluntas, cui desint testes: cum in testamentis exigantur septem testes, in codicillis quinque. d. l. hac consultissima. 21. in princ. l. cum antiquitas. 28. §. vlt. l. nostram.

dummodo de eo deponant saltem duo testes, etiam femina, et etiā non e rogata, vt dixi sup. q. 8. vers. Hinc inferitur, & seq. **A**ut uero ¶ pater aliquos testes non adhibuit, sed tantū uolūtātē suā in scriptis exaratā reliquit, vel in arca, vel apud Notariū, vel aliquē aliū nō suspectū, & hoc casu habet locū dispositio d. Auth. quod sine. scil. vt talis schedula ualeat, & illi standum sit, licet careat solemnitatibus requisitis, dummodo appareat, quod sit scripta a manu ipsiusmet testatoris.

Sed nunquid requiritur, quod in huiusmodi schedula appositus sit dies, quæ confecta est? Respon. quod sic. Ita tenet Bal. in d. Auth. quod sine, n. 4. & est commun. opi. vt dixit Natta in repet. d. Auth. quod sine, n. 30. & seq. Lex enim requirit tempus in illa apponi, vt in d. Authen. quod sine. Debet ergo apponi formaliter, & specificè, vt si aliqua suspicio falsitatis subsistet, facile deprehendi possit. Et hæc conclusio nota pro limitatione eorū, quæ dixi infra li. 7. §. scriptura. quod scil. regulariter in priuata scriptura non requiritur dies, neque annus.

Sdem ¶ testatoris præcipue in testamentis dominatur: & ex uoluntate testatoris omnia pendunt, quæ in testamento disposita sunt. l. in conditionibus, 19. in princ. ff. de conditionib. & dem. & expositum supra ad q. 1. nu. 1. & 2. Harprec.

Non rogata. Adde, quod testes esse adhibitos & conuocatos satis est probare dato, quod haud constet eos esse rogatos commune Alex. in l. sciendum nu. 41. ff. de verb. obligat. qui tamen nu. 43. dicit magis communem esse, quod haud præsumatur rogati. Adde communem etiam, atq; uide per Diaz regul. 75. l. vbi retulit Iaf. quadrupliciter limitantem, in d. l. sciendum. Et regulam, quod testes in testamento debeant, esse rogati cum tribus fallen. uide per Soc. in reg. 505. Et no. quod testis rogatus à testatore, ex quo eius fides fuit approbata, quod haud potest amplius reprobari. Ita per Alex. in consil. 54. in fin. vol. 3. Giach.

Aut uero. Adde, & uide per Rim. in conf. 439. n. 13. vbi fultus. Giach.

In huiusmodi schedula appositus sit dies. ¶ Et si ¶ scriptura priuata ad sui firmitatem regulariter non requirit diei designationem, l. cum tabernam. 34. §. 1. ff. de pignobus, & hypothec. tamen ¶ in scheda, siue testamento inter liberos à parente condito non solum anni, sed etiam diei mentio necessario facienda est, d. Nouell. 107. cap. 1. & dict. Authent. quod sine. C. de testam. Ratio illa assignari potest: quod si diuersæ schedulæ deprehenderentur, sciri non possit, quæ scheda ultimo exarata fuisset, si forte una cum alia pugnaret, cum nouissima scriptura præualere soleat, l. si quis in princ. 22. ff. de legat. 3. Gilkenius, num. 2. & Sichardus num. 5. in dict. Authent. quod sine. C. de